

Johann Quistorp

**Programma Rectoris Academici Johannis Quistorpii ... Quo ad eundum ... Dn.  
Joh. Georgio Dorscheo, D. Theologo ... Consiliario Consistoriali & Prof. Primario,  
Exequias, Omnes omnium ordinum Cives Academicos ... invitat : P.P. X. Ian.  
Anno M.DC.LX. ...**

Rostochii: Kilius, 1660

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747406774>

Druck Freier  Zugang




Qvistorp, J.,  
in  
**J. G. Dorscheus.**

Rost. 1660.

74







PROGRAMMA  
RECTORIS ACADEMICI  
JOHANNIS QVISTORPII,

⊙ Ε Ο Λ Ο Γ . D. Past. J.  
& Prof. P.

*Quo*

Ad eundem

*Adm. Reverendo, Amplissimo & Excel-  
lentissimo VIRO*

DN. JOH. GEORGIO  
DORSCHEO,

D. Theologo, Illustriss. Consiliario  
Consistoriali & Prof. Primario,

*EXEQVIAS,*

Omnes omnium ordinum Cives Aca-  
demicos studiosissimè invitat,

P.P. X. Jan. ANNO M.DC. LX.

sub Sigillo Rectoratus.



ROSTOCHII,  
Typis Heredum NICOLAI KILII, Acad. Typ.



RECTOR  
JOHANNES QVISTORPIUS D.

**M**E quondam hujus Universitatis Rectore & Decano, Magnus noster *DORSCHAEUS*, postquam *Vale* Patriæ, Rostochio verò *Salve* dixerat, in Matriculam Academiæ ac sinum Facult. Theologicæ solenniter & honorifice receptus est. Ecce is ipse, cum post sexennium denuò sceptrâ, ex ipsius manibus in meas extradita, gero, ultimum *Vale* nobis dicit, vitæ celestis libro inseritur, & in sinum Abrahæ exponitur. Cui adventanti publ. adplaudebâ, ei nunc, cheu! nœnias canere cogor. Quantum jacturam, per hujus Viri mortem non solum Illustris hæc Schola, sed & tota Christi militans Ecclesia passa sit, scripta ejus publica, & æquilateralum æstimatores loquantur. Habebit B. noster *DORSCHAEUS* brevi laudum suarum assertores. Ego hodiè saltem levi penicillo ejusdem vitæ curriculum, more consueti, delineabo. Natus est J. G. D. Argentorati A. O. R. cl. 1707 LXXXVII. 13. Novembris, quadrante post secundâ matutinam. Patrē habuit *LAURENTIUM DORSCHAEUM*, natum Würtzburgi in Franconia, Patre *GEORGIO*, Avo *JOHANNE*. Matre *CORDULA*, sed postea Civem Argentoratensem è primariis Sutoriæ Tribus. Matrem nactus est *MARIAM*, Filiam *JOANNIS FINGERLIN*, Senatoris Argentoratensis, sed qui, (nec enim perennis iste ibi honor est, sed ambulatorius, nec reassumitur in tantam dignitatem, nisi qui laudabiliter ea defunctus, suam fidem probarit) quinque Senatus assessor fuit, quanquam non inquilinus, sed ex Marchia Rötelana oriundus: & *MARTHÆ*, Filie *JOANNIS TSCHOPPERI*, Stabuli Magistri apud Argentoratenses. His ille editus est Parentibus, equidem honestissimis, talibus tamen, ita coelo ordinante, ut gloriosius esset ei, conferre suis majoribus, quam ab iisdem emendicare nominis celebritatem. Initiatus ab iis Christianismo, & domi suæ pietatis, & quæquæ aliæ ætatem teneram virtutes decent, tyrociniis imbutus, An. cl. 1707 IV. 2. Octobris ad decimam seu infimam Argentoratensis Gymnasii classē à Patre est deductus. Cum per decennium

bona

bonarum artium linguarumq; fundamenta in Gymnasio posuisset, dignissimus tandem judicatus est, qui ad subsellia altiora, Academica scilicet, publicasq; lectiones promoveretur An. clō Ioc XIV. 4. Octobris. Totus hinc sese studiis Philosophicis addixit, eo successu, ut An. clō Ioc XV. 22. Junio Decano *LAURENTIO THOMÆ WALLISERO*, Philos. Pract. Professore, primā Philosophiæ laureā redimiretur. Erat hæc illi Gloria calcar ad promerendam majorem, adeoq; habita ante (An. XVI. 28. Novembr.) Metaphysica disputatione de Deo & attributis, Præside *D. DANIELE RIXINGERO*, eodem & Decano Laurea secunda & Magisterii honores conferrentur, secundo loco inter 18. competitores ipsi jure assignato, A. XVII. 1. Maji. Exinde animum Theologiæ mancipavit & ad pedes Excellentissimorum *GAMALIELUM* sedere cœpit; nec desidiosus: sed continuis præexercitamentis ad sacros conflictus cum tot tantisq; adversariis, (quibus illum coeli antagonistam destinabant, quippe bellorum Domini non gregarium aliquem sed primipilum militem) instituendos olim, animum jam tum præparavit, pluribusq; Disputationibus, privatis, publicis, solemnibus, jam Respondentem se, jam opponentem stitit. E pluribus nos insigniores tantum referemus. Anno ergo XIX. 2. Decembr. sub Præsidio *D. JOAN. GISENI* de via salutis disputavit. sub eodem An. XX. 10. Junii de æterna Spir. S. Deitate. An. eodem 18. Octobr. eidem se Theologo comitem adjunxit, & excursionē Tubingam facta, in Clarissimorum illic Theologorum *L. OSLANDRI*, *T. THUMMI*, familiaritatem sese insinuavit. Redux in Patriam, cœpto feliciter tramitē constans institit, variisq; speciminibus, quantus futurus esset, jam tum probavit. Itaq; An. XXII. 19. Octobris Ecclesiæ Ensisheimensi in agro Argentoratensi Pastor datus, seminariiq; Ecclesiastici pars factus est. Neq; verò Ecclesiastica functione ab Academicis Exercitiis retrahi se passus An. XXIII. 16. Jul. à *M. JO. SCHMIDIO*, Theol. Professore, at quanto inde viro! delectus est Respondens, qui disputationem ejus inauguralem tueretur, quali exercitio non nisi egregii deligi solent. Jam altius quid de eo præsagiebant ingeniorum æstimatores idonei, cum adornandi in Saxonicas



zonicas Academias itineris illi autores extiterunt. Quapropter  
An. XXIV. 6. Jan. fidem suam amplissimo Senatus Argentinenſi  
obſignavit ad triennem peregrinationem, academicamq; fun-  
ctionem inde capeſendam: editoq; inſigni illo Myſariae Miſſae Pon-  
tificiae tractatu, publicaeq; diſputationi exhibito, 6. Martii, mox &  
alia diſputatione habita de dicto 1. Tim. 6. 10. Martii, ſub Praeſi-  
dio *D. WEGELINI*, 18. ejusd. Argentorato feliciter diſceſſit. Ejuſdem  
d. 19. venit Noribergam. 3. April. Jenam. Et hic ad uſq; A. XXV.  
7. Octobr. ſubſtitit *D. JO. MAJORIS* convictor, & juxta hunc *JO.  
GERHARDO*, *JOH. HIMMELIO*, Theologorum trigae famigeratiſſi-  
mae, aetate quantumvis minor, nihilominus longe familiariſſimus:  
*GERHARDO* potiſſimum cujus ſub praefidio 5. iteratis vicibus publice  
diſputavit. Relicta Jena, Lipſiam conceſſit, & *POLYCARPI TYSERI*,  
*HENRICI*, *HOEPFNERI*, amores ſibi conciliavit. Properavit vero  
Witebergam ibiq; Convictu *M. ERASMI SCHMIDII* utuſ eſt, Mathe-  
mat. & Graecae linguae Profeſſoris: Magnis vero Theologis, *JACO-  
BO MARTINI*, *BALTHASARI MEISNERO*, *FRIDERICO BALDUINO*,  
conjunctiſſimus. Neq; vero diſcendo ſolum, ſed & docendo hic  
profeſcit: nam ipſe moderator Collegium theologicum inſtituit  
An. XXV. 9. Novembr. An. XXVI. 17. Martii etiam Witebergae  
valedixit, & 9. April. adiit Marpurgum, inq; convictu *THEODORI  
REINKINGII*, Haſſiae tum Vice-Cancellarii, Amicitiaq; intimio-  
re *MENZERI*, *FEWERBORNII*, aliorum, add. 17. uſq; Martii anni  
ſequentis ſubſtitit. Interea temporis (17. Decembr.) juſſu Cancel-  
larii *WOLFI*, *LUDOVICO* Landgravio Panegyricum ſcripſit atq; di-  
xit. avocavit eum Marpurgo vocatio Honorifica nomine am-  
pliſſimi Senatus Argentoratensis 19. Febr. exhibita, deſtinataq;  
illi Theologica Profeſſio. Hanc aditurus 29. Martii in patriam  
redit, & nono Maji orationem habuit inauguralem. Poſtulavit  
tantae dignitatis functio novos titulos; itaque 27. Auguſti affixo  
Programmate ad lectiones cursorias pro confequendo ſummo gra-  
du inſtituendas & auditores invitavit & numeroſiſſimos obtinuit.  
Inde 13. Septembr. Diſputationem inauguralem habuit, praefes ipſe,  
Respondente *M. JACOBO SCHALLERO*, S. S. Theol. jam Doctore,  
atq;

atq; apud Argentoratenses Phil. Pract. hodie Professore: ejusdem mensis 20. examen sustinuit, quod rigorosum vocant: 23. à D. *WEGELINO*, conventus Ecclesiastici tum præside, in Ecclesiasten ordinatus: tandē 9. Novembris, jubente Senatu, à D. *FROREISENIO*, Doctor Theologiæ publicæ & solenniter renūciatus est. Decrat adhuc, quod in Episcopi requisitis Apostolus secundū recenset: Ergo eodem die Matrimonio sibi copulavit Lectissimam tum Virginem, omnibusq; sui sexus ornamentis maximè conspicuam, *URSULAM*, *LEONHARDI ROSÆ*, J. U. D. & Ordinis Equestris Alsatici in Circulo Ortenavico, Syndici & Advocati, ut & Celsissimi Principis *OTTONIS*, Com. Pal. Rheni, Bavarix Ducis, Consiliarii, è *MARGARETA HÖFFLINIA*, filiam: quacum in Conjugio jucundissimo XXVII. annos explevit, sexies ex illa parens factus, I. *MARIÆ MARGARETÆ*, natæ An. XXX. 6. April. desponsatæ post Rev. & Cl. V. DN. *JOANNI GRAMBSIO*, S. S. Theol. Candidato & Ecclesiæ Moeno-Francofurtensi, denatæ An. LVII. 10. Januarii. II. *MARTHÆ MAGDALENÆ*, natæ An. XXXII. 4. Novembr. denatæ XXXVIII. 20. Aug. III. *SYBILLÆ URSULÆ*, natæ A. XXXVII 16. Novembr. denatæ 15. Decembr. ejusd. anni. IV. *JOANNIS GEORGII*, nati An. XXXXIV. 13. Febr. qui unus superstes tantique nominis hæres, Philosophiæ in hac Academia studiosus, spem hucusq; certam exhibet, filium se fore olim tanto patri non pudendū: adeoq; dignissimus, quem omnes boni, possessorem quippe justum partæ meritis paternis gloriæ, juvenēq; jam nunc & ipsum magnæ expectationis, juxta cum fratre, Mellitissimo illo, nec Spei minoris puero, *ELIA TADDELIO*, Maximi *DORSCHÆI* Filio primum Instrico, privigno inde, tali verò, quo nemo Filium verius teneriusq; amaverit, suo favore complectantur. V. *LAURENTII LEONHARDI*, nati Anno XXXXVII. 6. Junii & eodem die denati. VI. *SIBYLLE MARIÆ*, natæ An. XXXXIX. 30. Martii, denatæ An. eodem 25. Maji. Quid publicè ex illo tempore in Academia gesserit, documenta loquuntur, publicæ luci omniumq; oculis exposita, quæ quo singula loco & tempore edita, in gratiam Lectoris speciatim subjunget in Programmate Spectab.

Dn.

**Dni Decanus**, nomine **Facult. Theologicæ**. Testatur idem sparsa in orbem nominis gloria, quâ effectum, ut Clarissimum Patriæ suæ lumen, jam propemodum invidiosum, etiam à peregrinis, iisque Regibus, Electoribus, Principibus, Magnatibus aliis & Rebus publ. ambiretur. Sed nulla pervicit vocatio, nisi illa, quâ declinante jam ætate, à Serenissimis Ducibus Mecklenburgicis, autore in primis Serenissimo **GUSTAVO ADOLFO**, septentrioni huic & in hoc, **ARCTO PÆSTO** destinatus est. Cum enim Serenissimus Princeps, non Argentorati modo, ipse præsens clementissimo vultu, sed & absens, è præcipuis Galliæ Urbibus, Aureliano, Blæsis, Salmurio, Parisiis, denique ex ipsa Italiæ Domina, Roma, literis sua manu scriptis, pietentissima sua desideria, de Balthica sua Academia per ipsum illustranda, cõstas urfisset, nõ poterat non annuere tandẽ vir beatissimus: Certus in primis, suum è patria abitum coelitus impostum sibi esse, Deumque inevitabilibus judiciis jussisse, Cathedram mutaret & Argentorato huc transferret. Ergo dulcissimæ Patriæ, Vale! heu! quas inter omnium bonorum lacrimas? solenni Oratione *An. LIII. 30. Septembr.* dixit: desideratissimis in primis Collegiis suis. Viri toto orbe celebratissimis, Venerando **Seni DN. JO. SCHMIDIO**, Doctõri Professorique Theologo primario, Capituli Thomani Præposito, Ecclesiasticique conventus Præfidi eminentissimo (huic mortalitati jam quoque exẽpto) & incomparabili insuper Theologo, **DN. JO. CON. DANHAUERO**, Professori tum, jam magni **SCHMIDII** in officio successori. Qua animorum ægritudine, **ARGENTORATENSE** hoc **TRIFOLIUM**, discedente **DORSCHEO**, discriptum quasi sit, dici non potest: sed nec potest, etiam silente nobis, non intelligi. Non cum minori eum gaudio, quàm lætu Argentina dimiserat, nos *An. LIV. 22. Febr.* suscepimus: Quid hic terrarum publicè ab eo gestum sit, omnes norunt, & si qui domi suæ peregrini non norunt, è publicis ab eoque editis operibus potius, quàm angustis his pagellis sunt docendi. Privata nos persequimur. Vix dum Rostochium contigerat, cum familiam acerbissimo lætu turbari, Thorumque altera sui parte, heu! desideratissima, viduari, dolendum fuit. Excessit enim è vivis fidissima huc usque  
itine-

reineris comes, Uxor, & quæ per tot viarum discrimina, ut ipsum  
prosequi posset, non potuit non omnes consanguineos, affines, &  
quicquid dulce Patria habuit, deserere, jam & ipsum deserere ha-  
buit necesse. Tribus annis in viduitate exactis, domesticæ rei ad-  
ministratio, viduo gravior futura, suavit, urfitq; ut sociam laborum  
sibi aliam deligeret. Delegit itaq; Matronam quibusvis sui generis  
decoribus Nobilissimam, *ELISABETHAM*, Filiam Viri Nobilissi-  
mi, Amplissimi & Consultissimi, *DN. JUSTI ZINZERLINGII*, Jcti,  
Consiliarii olim, dum viveret, Serenissimi Svecorum Regis, Illu-  
strissimi Comitis Oldenburgici, aliorumq; Magnatum, inprimis  
*Arcopagi* hujus provinciæ gravissimi assessoris, cæterum Viri in  
omni Politiori literatura Maximi, ut variis in vario eruditionis  
genere documentis publicè editis testatum fecit: Viduam tum Cl.  
Excellentissimiq; Viri *M. BERNHARDI TADDELI*, Græcæ linguæ  
hic Professoris. Qua suavissima animorum conjunctione etiam  
hoc matrimonium constiterit, non aliud idoneum magis testimo-  
nium evidens facere potest, quàm acerbissimus luctus, qui è præ-  
matura distractione moestissimam viduam tantùm non penitus ex-  
ternavit. Sed quis cœli consiliis obstitere? Cœlum quippe hoc  
lumen, terris ad tempus commodatum, decursâ jam metâ, quam  
desuper imperatum erat decurri, jure jam reposcit, etiam illic inter  
lumina figendum; nec minora: quippe quod his etiam in terris  
inter eos qui ad justitiam erudierunt multos, fulserit, non ignis  
exiguus, sed velut inter ignes Luna minores. Factum id est d. XXV  
Decembr. superioris anni intra 9. & 10. vespertinam: illam ipsam  
quippe diem, qua orbi salus olim nata est, fata destinarent, quâ ipse  
denatus salutis eadem partæ plenissimè compos fieret, quo morbi  
genere per mortem ad vitam translatus sit, suis verbis Medici di-  
cant. Ita ergo illi: *Quod morb. attinet, qui æterni nominis Virum viventi-  
um numero subduxit: fuit is præter languorem senilem (quo post inde-  
nentes & vix imitandos alteri per omnem vitam labores, proximis annis  
sensim marcescere, & velut extingui visum fuit hoc orbis eruditi lumen)  
singularis quadam Scorbutica affectio tumore & laxitate gingivarum  
dentiumq; vacillatione jam dudum sese sat prodens, acrig; & præva serosi-  
tate*

tate pulmonibus, laryngi & cerebro imprimis molesta, tussimq; vehementis-  
simam ac periodicam fere bis terve de die, per integram autumnique quar-  
tam affligentem concitans. Cui quidem malo etsi varia probataq; remedia,  
nec sine grato ad tempus successu opposita fuere, mense tamen Novembri pro-  
ximo, cum annum Climactericum magnum ingressus fuerat, augeri illud  
apparuit, Natura vires ex adverso plurimum imminui: adeo ut circa  
ipsum Brumale Solstitium Asthma quoddam singulare accederet, sub quo  
febris quadam accendebatur externa quidem specie mitis, Scorbutica in-  
pravitate satis maligna, quæ vires ceteroquin minus validas penitus prostra-  
vit. Frustra hic prorsus erat, quacumq; vel tollere febrim vel mitigandis sympto-  
matibus viribusq; refocillandis junctis Medicorum consiliis excogitabantur  
remedia; prævalebat quippe arti malum, adeo, ut, cum febris acutarum periodum  
explevisset, circa decimum quartum à primo ejus sensu diem, vigesimum  
quintum nimirum Decembris, inter nonam & 10. vespertinam vitæ residuos  
igniculos derepente extingueret. Sic parata est immortalitate dignissimo  
viro aeterna quies, subortus familia, Academia & Orthodoxa Ecclesia, ob  
ereptum hoc fulcrum & lumen ingens eheu! luctus. Et quam fidelis  
manserit usque ad Beatam ἀνάδοσιν in Concione funebri exponet  
Adm. Rever. Dn. L. Nic. Ridemannus, Ecclesiastes Marianus, fra-  
ter in Christo & Adfinis meus honorandus, ejus quondam Pœni-  
tentiarius. Scitote omnes, bellatorem DOMINI magnum, ceci-  
diffe die hoc in Israele, & sublata voce flete ad hujus sepulcrum.  
Plura non dabimus dolori. Vos autem monemus, ut summo huic  
Viro frequentes exequias eatis. Vixit an. LXII. Mens. I. Dies V.  
funus efferetur hora I. Valete, & sui quisq; memor hoc agat, ut  
DORSCHEO nostro eruditione & nominis cele-  
britate fiat quam proximus.

P. P. Sub Sigill. Acad. Rostochiensis, d. X. Jan.  
clo 18c LX.

Justorum generatio benedicetur.

Conventus fiet in æde Jacobea h. I.











bonarum artium linguarumq; fundamenta in dignissimus tandem judicatus est, qui ad sub mica scilicet, publicasq; lectiones promoveret. 4. Octobris. Totus hinc sese studiis Philosopho cessu, ut An. cl<sup>o</sup> 15c XV. 22. Junio Decano *WALLISERO*, Philos. Pract. Professore, prim redimiretur. Erat hæc illi Gloria calcar ad rem, adeoq; habita ante (An. XVI. 28. Nov disputatione de Deo & attributis, Præsede *DRO*, eodem & Decano Laurea secunda & Ma ferrentur, secundo loco inter 18. competito A. XVII. 1. Maji. Exinde animum Theolo pedes Excellentissimorum *GAMALIELUM* se diosus: sed continuis præexercitamentis ad tot tantisq; adversariis, (quibus illum cœli a rant, quippe bellorum Domini non gregariu pilum militem) instituendos olim, animum pluribusq; Disputationibus, privatis, publicis spondentem se, jam opponentem stitit. E plu tantum referemus. Anno ergo XIX. 2. De *D. JOAN. GISENI* de via salutis disputavit. sub Junii de æterna Spir. S. Deitate. An. eodem Theologo comitem adjunxit, & excursionem Clarissimorum illic Theologorum *L. OSLANDI* ritatem sese insinuavit. Redux in Patriam, ce constans instituit, variisq; speciminibus, quar tum probavit. Itaq; An. XXII. 19. Octobr mensi in agro Argentoratensi Pastor datus, stici pars factus est. Neq; verò Ecclesiastica micis Exercitiis retrahi se passus An. XXI. *SCHMIDIO*, Theol. Professore, at quanto in Respondens, qui disputationem ejus inaugu exercitio non nisi egregii deligi solent. Jam sagiebant ingeniorum æstimatores idonei, c

posuisset,  
Acade  
loc XIV.  
it, eo suc  
*THOM*  
iæ laureâ  
am mayo  
aphica  
*RIXINGE*  
ores con  
assignato,  
avit & ad  
nec desi  
ictus cum  
n destina  
ed primi  
paravit,  
s, jam Re  
signiores  
Præsidio  
XX. 10.  
eidem se  
facta, in  
familiã  
er tramiti  
esset, jam  
Ensishei  
Ecclesia  
b Acade  
â M. 70.  
lectus est  
ur, quali  
eo præ  
di in Sa  
xonicas

